



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXVI. Gregorii Papae I. Ad Colvmbvm Episcopvm Nvmidiaae. De Petro quodam episcopo: & ne Donatistarum baptismo baptizari permittat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Mense Iunii, indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXXVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD COLVMBVM EPISCOPVM NVMDIÆ.
De Petro quodam episcopo: & ne Donatistarum baptismo
baptizari permittat.

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.

SCRIPTA fraternitatis vestræ sacerdotali plena dulcedi-
ne præsentium portitore * Rogatiano diacono defe- ^{* ad Rogatiano}
rente suscepimus. Et valde nos eorum lætificauit benigna
locutio, præsertim quia per ea de vestra, quod desiderii
nostri est, incolumitate cognouimus. Deuotionem vero
sanctitatis vestræ & olim nouimus, & nunc, sicut scribitis,
sic habemus. Nam qualis erga nos sinceritas fraternitatis
vestræ sit, satisfactione non egemus, quia eam ex mentis
nostræ, quæ circa vos est, dilectione cognoscimus. Supra-
scripto autem latori, quem nobis epistolariter commen-
dastis, scripta ad rectorem patrimonii Siciliae dedimus,
vt aduersam partem facere quæ iusta sunt vrgeat, quate-
nus frustratoria excusatione postposita, ad finem citius
perducatur totius causæ contentio. Indicamus itaque san-
ctitati vestræ venisse ad nos quemdam hominem Petrum
nomine, qui se asserit fuisse episcopum, atque causæ suæ a
nobis remedium postulasse. Et prius quidem retulit quæ
digna esse miseratione potuissent, sed requirentes, postea
multo aliter quam indicauit inuenimus, & vehementer
nos eius actio contristauit. Sed quia causæ ipsius interna
subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris inter-
uallo disiuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire ne-
quiuius. Nunc vero quoniam remeans suprascriptus dia-
conus secum eum relaxari poposcit, & ipse ad vos se pe-
tiit debere transmitti, scientes sanctitatem vestram, ze-
lum, sicut decet, fidei, & amorem habere iustitiæ, nobis
gratum fuit, & ea quæ petiuerunt concessimus. Quia ergo
præsentibus causam subtilius potestis scire, hortamur vt ei-
dem Petro ita seruare quidquid iustum canonicumque fue-
rit debeatis, quatenus & rectitudinis vigor a vobis in om-
nibus impleatur, & causâ ipsius secundum Dei timorem, &

ecclesiæ videatur regulas iudicata. Si quis vero conscius vel particeps præfato Petro in his quibus accusatur dicitur extitisse, subtiliter requirendum est, & veritate cognita, similiter canonicè iudicandum. Præterea res ad nos omnino dura & rectæ fidei inimica peruenit, quia, quod dici nefas est, catholici homines, & religiosi, quod est deterius, filios mancipiaque sua, vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt. Et ideo, si verum est, fraternitas vestra hoc summopere studeat emendare, quatenus sinceritas fidei vestra sollicitudine intemerata consistat, & innocentes animæ, quæ catholico baptismo saluari poterant, hæreticorum infectione non pereant. Quisquis ergo de his personis, quas superius memorauimus, quemquam suorum apud Donatistas passus est baptizari, ad catholicam eos fidem omni virtute omnique instantia studeat reuocare. Si quis vero talium de cetero hoc fieri de suis qualibet excusatione pertulerit, a clero sit modis omnibus alienus.

EPISTOLA XXXVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

Alexandriam relictam Vincomali commendat.

Gregorius Anthemio subdiacono.

QVANTO viduæ bene viuentes virorum sunt solatio destitutæ, tanto eis enixius ecclesiastica est impendenda tuitio. Atque ideo huius tibi præcepti pagina deputamus, quatenus Alexandria magnificæ feminæ relictæ quondam Vincomali omni instantia omnique sollicitudine, vbi necesse fuerit, seruata scilicet æquitate, ruitionem festines impendere, atque eius vtilitatibus studiosè concurrere: nec eam a quoquam vexari permittas, aut molestiam sustinere; sed ita, sicut prædiximus, vbi causa poposcerit ope tuæ sollicitudinis potiatur, vt nullus se in afflictione oppressioneque ipsius te illic coram posito tentet aliquatenus occupare.